

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4940

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

671

C O D I C E S

672

nostro in Codice *Libro de Haeresisibus* continuo cohaeret hoc titulo miniatu: *Dubitacio ad agarenos*, incipitque: *Si interrogatus fueris a saraceno dicente quem dicas christum &c.* Et finit: *nichil apponens ad ipsum alterum.* Textus graecus, quem tempore suo *Lequienius* in Biblioteca *Caesarea* latere questus est T. cit. p. 465. Viris eruditis liberalissime offertur. Extat inter Codd. graecos theologicos N°. 306. p. 100. hoc titulo: *Διαλεξίς σαρακηνού καυχεισιανού.*

CCXV. IX F. 5

490 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. 4. currente calamo scriptus, rubricisque pernotatus hoc gaudet titulo: *Incipit liber Beati Crisostomi de opere imperfetto*, in *Mattbaeum* scilicet, cuius XXV. Capita de XXVIII. exponuntur Homiliis LIII. quamvis rectius Commentarius perpetuus dici possit, qua forma etiam in praesenti Codice extat. *Johannis Chrys.* porro non esse, norunt Eruditi, et dictum est ad Codd. praeced. Prologi initium: *Sicut referunt Matheum conscribere Evangelium causa contulit talis &c.* Ipsius Expositionis: *Liber generacionis ihesu christi — Liber quasi apoteca graciarum &c.* Ita vero integra non est in Codice; deficit enim C. XXIII. Homilia sic dicta XLVI. in iis verbis: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur — —*

leguntur — — quae habentur edit. Opp. Job. Chrys. lat. Lugd. 1687. T. II. p. 439. Et tamen Librarius noster adscripsit: *Et sic est finis huius operis.* Quod merito manus ejusdem Seculi coarctavit addendo: *sed non finisti, sed es subduktor.* Certe enim plusquam 12. folia edit. mox *cit. subducta* sunt. Ut adeo Commentaria ista, prout hic extant, dupli- ci titulo *Opus imperfectum* dici queant.

CCXVI. IX F. 28

Codex chartaceus lat. boh. 513 Sec. XV. Folior. 335. 4. currente, sed non uno calamo exaratus plura complectitur, quae edissemus. I. *Incipit Crisostomus super Math. de Opere imperfecto.* Initium: *Sicut referunt Matheum conscribere euangelium causa contulit talis &c.* Non esse *Chrysostomi* jam dictum ad Codd. praeced. Illud observo, praefens Exemplum in iisdem verbis deficere, in quibus deficere vidimus Exemplum Cod. praeced. videlicet: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur — —*.

II. fol. 195. *Reuerendi magistri Mathie de corpore christi. Mathiam* hunc esse a *Panow seu Janow*, ob 9. annorum in *Parisina Academia* commorationem *Parisiensem*, dein et *Pragensem* dictum, annoque 1394. vivis exemplum *Pragae* vix dubium est. Opus ejus praefens, alias etiam *de frequenti Communione* inscriptum,

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4940

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

673

P A T R I S T I C I .

674

non dissertatione continua pertextum, sed velut in ἀφορισμοῖς breviores sectum multa quidem de frequentatione S. Caenae, sed alia etiam, quae ad hoc Sacramentum et Missae Sacrificium spectant, complectitur. Initium ejus est: *Corpus christi manducare solum spiritualiter est per gratiam que alias dicitur res sacramenti, deo adherere, et in deum ire et unum esse spiritum cum deo &c.* Ad Utraquistas Autorem spectasse, ex hoc opere solo certo erui vix potest, cum jam de solo Pane seu Corpore, jam de Pane et Vino seu Corpore et Sanguine simul loquatur; at vero Doctrinam ejus in quibusdam vacillasse, desumē potest ex Lupacii dictis in *Ephem.* ad 30. *Novemb.* et ex *Art. L.* Professionis Fidei M. Job. Przibrami apud *Cochlaeum* in Append. ad *Hift. Husſit.* p. 540. ubi Job. Husſo conjungitur. Vide tamen, quae ad *Balbini Bohemiam doct.* P. II. p. 177. Editores ejus commentantur.

III. fol. 222. p. 2. *Epistola Dyonisij ad Timotheum Episcopum.* Incipit: *Saluto te diuinum discipulum et filium spiritualem veri patris et boni amatoris. &c.* Vide, quae de ea observantur ad Cod. DCLXII.

IV. fol. 226. Opusculum e PP. Dictis maxime compilatum pro Necessitate Communionis sub utraque Specie, cuius initium: *Quod non solum sacerdotes sed etiam layci fideles uel quicunque aliquando christiani deum timentes debent bibere sacramentaliter et spiritualiter.*

Denis Codd. ms. theol. Bibl. Palat.

ter de calice preciosum sanguinem christi &c. Ad calcem scriptum: *Hec magister Jobannes Husſ.* Sed non ego credulus illi. Novimus enim, *Husſum* literis ex ipso jam carcere Constantiensi ad Jacobellum datis ejus circa S. Caenam innovationi saltem sub principium non favisse. Et unde *Husſo* in custodia constituto tam promptus PP. usus, qualem isthaec Tractatio paginis omnibus manifestat? Eam itaque rectius ad Jacobellum ipsum aut aliquem ejus συμμαχῶν referemus. Confer Cod. CCCXL. et Indicem.

V. fol. 255. Sermo ejusdem Argumenti in illud: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem &c.* cuius initium: *Hec Jobannis 6. sunt intitulata et dilectionibus vestris loco thematis prelibata. &c.* Ad calcem habitus dicitur: 1414. In Ecclesia Sandi Michaelis. At vero in hac Ecclesia Jacobellus de Miza Oxonio redux sacer Orator constitutus fuit.

VI. fol. 271. p. 2. *Narratio de Morte Job. Husſi*, quae incipit: *Passio fidelis et christianissimi magistri nostri Jobannis Hus.* verbis succinctis summatim quantum memorie suppetit capacitatis fideliibus declaratur &c. Binae ejusmodi Narrationes extant in Opp. Job. Husſi, a quibus nihil abludit nostra, nisi quod referat, *Husſum*, dum ad supplicium procederet, cantasse: *Christi virgo dilectissima &c.* et eum, qui tragœdiae præerrat, *Clem theutonicum* adpellet; Demum etiam in longam et ve-

U u

hemen-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4940

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

675

C O D I C E S

676

hementem ad *cordatos Dei Zelatores* adhortationem abeat.

VII. fol. 273. absque inscriptione Epistola *J. Husi* ad Amicum Sacerdotem *Martinum Constantia* data, quae incipit: *Magister Martine frater in chrisio karissime bortor te in domino &c.* et extat P. I. Opp. edit. 1715. p. 72.

VIII. fol. eod. p. 2. *Johannis Ep. Luthomislen.* Epistola Bohemice scripta *Constantiae feria V. proxima ante festum sancte Margarethe Anno 1415.* ad Regem *Wenceslaum*, qua illum certorem reddit, nunc demum, si quando, spem optimam esse sublato schismate unionis in Ecclesiam reducendae; praeterito Sabbati die *Hussum* de sua simul et *Wiclefi* doctrina damnatum rogo esse traditum; incertum adhuc, quid futurum *Hieronymo Pragensi*; tueri se cum aliis strenue Regis existimationem contra sparsum rumorem, Regem non prorsus ab *Husi* doctrina aversum esse &c. Egregii hujus Praesulis res solerti cura collegit *Job. Wratisl. Monse in Infulis doctis Moraviae. Bruna 1779.* p. 52. 8. Cum vero de *Epistola* praesente fileat, avendotov habeo. Incipit illa: *Nay Jasnyey ssye knyeze krali zadny a pane muoy mylostiwy Prosim twe mylosti &c.*

IX. fol. 274. Commentarius Bohemice scriptus in *Caput I. Evangelii Job.* de triplici J. C. generatione, praemissio ipso Evangelio. Initium: *Toto chtenie swate ukazuye nam troye narozenie pana ieu krista &c.* Singulare hic,

quod *καὶ ἐσηνώσεται*, et habitavit redditum fit per futurum *przebywati bude, habitabit*, id quod etiam in rarissima N. T. *Bohemici Sec. XV. Editione f. observes.* An id literarum ejusdem organi *b* et *v* permutationi tribuendum, atque adeo e Textu latino *habitavit, habitabit, ortum?*

X. fol. 282. absque Titulo Tractatus de Communione sub utraque Specie Laicis ministranda, qui inquit: *Premissa posizione scolastica et tractatulo in quo sanctorum antiquorum autoritates &c.* et est *Jacobi seu Jacobelli de Misericordia, ut dictum ad Cod. DCLXII. quo te, si lubet, refer.*

XI. fol. 330. Tractatus ejusdem argumenti brevior non nominato pariter Autore, cuius initium: *Saluator noster dominus iesus noui testamenti institutor in cena sua nouissima ante mortem accepit panem &c.* Sub finem legas inter alia testimonia PP. *Magister Johannes Hus fidelis predicator evangelij ibesu christi qui vincitus in carceribus ante suam mortem sic scripsit in quadam epistola: o quanta dementia evangelium christi epistolam pauli quam dicit se non ab homine sed a christo recepisse et factum christi cum factis suorum apostolorum et aliorum sanctorum ut errorem contempnere &c.* Verba haec leguntur in *Epist. XIX.* inter editas P. I. Opp. p. 81. innuntque *Hussum* jam sententiae *Jacobelli* conciliatum fuisse.

Codicem ambiunt Membranae duae, quibus charactere luculen-

to,

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4940

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

677

P A T R I S T I C I .

678

to, minioque vario, Sec. ut puto, XIV. inscripta sunt ad modum *Necrologii Nomina Plebanorum mortuorum Parochiae Chotikow Archidiaconatus Plznensis*, ut in *Miscell. Balbini Dec. I. L. V. p. 30.* reperio, dein *Nomina Vicariorum*, tum *Patronorum* et demum *Laicorum mortuorum* cum *Uxoribus*.

CCXVII. VII. 16

²⁵⁴ Codex membraneus lat. Sec. faltem XII. Folior. 100. f. luculente scriptus et rubricis enotatus *Dionysio Areopagitae* supposita continet Opera, quae Doctorum consensu ad Seculum IV. vel V. referuntur, quanquam de Autore nihil certi haetenus statui possit. Habentur vero hic ex versione *Johannis*, quem Codex *Jerugenam*, alii *Erigenam*, *Juernigenam*, *Erjugenam*, *Heruligenam*, *Scotum* seu *Scotigenam* appellant, de quo vide, quae congesit *Fabricius Bibl. med. et inf.*

Lat. L. 9. et Lambecius L. VIII. p. 183. edit. Kollar. col. 385. Mihi, quidquid id sit corruptio-
nis, ex antiquo *Hiberniae* nomi-
ne *Erin* vel *Jerne* prognatum vi-
detur, neque obstat *Scoti* appella-
tionem, cum pluribus exemplis
doceri possit, harum duarum In-
sularum Scriptores olim non ra-
ro confusos fuisse. Versionem
porro hanc suam appulsus in *Gal-
liam* *Johannes Carolo Calvo* Imp.
intra an. 840 — 77. inscripsit,
reduxque in *Angliam*, scholae
Malmesburiensis rector, idem
cum D. *Cassiano* fatum expertus
dicitur, a discipulis anno 883.
vel, ut alii 84. aut 86. graphiis
confossus. Extat haec Versio,
quod non observarunt *Lambecius*
et *Kollarus*, plures prelo sub-
dita, puta *Argentinae* 1502. f.
Coloniae cum elucidatione *Diony-
sii Carth.* 1556. f. cui meliores
aliae successere, ut notum. —
Sed ad Codicem. Initium facit:
*Argumentum in ierarchyam dio-
nisi.*

Prima ierarchia patet bac in theoloya.

Prima uel eximia. tres una sunt in usya.

Altera theotenus. tria terna uel ordo nouenus.

Tertia sacratus. hominum chorus atque senatus.

Prima regens alias per sacras theophanias.

Hanc prius in primos. medios disponit et imos.

Hanc post hos primis. mediis coniungit et imis.

Sed loca cundorum discernit fors meritorum.

Absunt haec ab impressis, uti et subjectum Distichon:

Altius iste chorum transcendens theologorum.

Summa ierarchie. scripsit secreta sophie.